DE RESOLUTIONE NERVORUM.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
ALMA LITERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILELMA
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR
DIE XXIV. M. JVNII A. MDCCCXLI.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

HUGO PHILIBERTUS BLANCK
ELBINGENSIS.

OPPONENTIBUS.
ARM. WOLLHEIM, med. et chir. Dr., med. pract.
JUL. MAYER, med. et chir. Dr.
FERD. ANDERSSEN, med. et chir. Dr.

BEROLINI,
TYPIS FRATRUM SCHLESINGER.

M A N I B U S

VIRI

OPTIMI, HUMANISSIMI, BENEVOLENTISSIMI

Joan. Jac. Convent

ELBINGENSIS

SUMMO CULTU AC VERECUNDIA

PROSEQUENDIS

INSIGNIS TESTAMENTO LUCULENTISSIMO IN SE SUAQUE OMNIA REDUNDANTIS BENEFICENTIAE IN AETERNUM MEMOR

P I O G R A T O Q U E A N I M O

NEC NON

AVUNCULO

CARISSIMO AC DILECTISSIMO

AD CINERES USQUE COLENDO

Joan. Scheringer

BORUSSORUM REGI A CONSILIIS RERUM MILITARIUM, NEC NON FRUMENTARIARUM PRAEFECTO, ORDINIS REGII DE AQUILA RUBRA IN IV. CLASSE EQUITI ETC. ETC.

HASCE

QUALESCUNQUE STUDIORUM PRIMITIAS

OMNI QUA PAR EST OBSERVANTIA

D. D. D.

AUCTOR.

PROOEMIUM.

Si morbos variorum corporis systematum consideramus, haud diffitebimur, eos maxima medicorum attentione dignos videri, qui systema nervorum subigunt, quum non solum agmen eorum sit latissimum, verum etiam indoles tenacissima saepeque perniciosissima, ob insignem nervorum praestantiam. Omnes enim aliae partes vel intimo, vel remotiore nervorum commercio perfruuntur, iisque, ut ita dicam, reguntur atque sustentantur. Ab altera autem parte largiendum est, medicos illustrissimos hisce morborum generibus plurimum studii impendisse, eorumque naturam, causas, curationes, quantum fieri potuit, dilucidasse. Si contentiones illorum virorum nonnunquam vana ac irrita persecutae sint, multo magis difficultates atque tenebrae, quibus haec materia premitur, accusaudae, quam

conamina eorum vituperanda videntur. Quum igitur viri periti, usuque versati, interdum errores committant, ut in devia ferantur, tironi maxime indulgendum est, qui, conscripta dissertatiuncula, neque materiem exhausit, neque omnia, quae levioris momenti sunt, ex opusculo relegavit. Haec pensitetis velim, Lectores benevoli, et dissertatiunculam, ne dicam assensu, excusatione dignam habeatis.

§. 1.

Resolutio nervorum seu παράλυσις ea intelligitur corporis animalis aegrotatio, qua fibrarum contractilium facultas movendi prorsus deleta est, sensu quandoque simul amisso, ita, ut nec a voluntate jussae, nec stimulis, qui solent, cientibus ad pristinam suam agitationem fibrae illae impelli possint. Opposita igitur est haec quidem affectio illi, quam spasmi nomine designaverunt eamque voluerunt intelligi actionem musculorum violentam, invita mente provocatam. Ita vero, ut definivimus, proprie dicitur Paralysis. Usurpatur tamen haec vox, praesertim a recentioribus medicis, ad significandam abolitionem actionis organi cujusvis, praecipue partium ad nervorum genus pertinentium. Loquuntur enim de cerebri, medullae spinalis, nervi optici paralysi, neque illam, uti debebant, ad motum solum sublatum retulerunt. Quod quam parum probandum sit, facile quisque intelliget, qui reputaverit, utramque corporis functionem perinde, ac diversa sit natura atque indole, diverso nomine, non eodem, denotari

debere. Neque enim necesse est, semper sit nervorum resolutio quam vocaverint cum laesa musculorum actione copulata (1).

§. 2.

Probe vero cavendum est, ne, ubicunque artus vel aliae quaelibet partes, quominus moveantur, sint impeditae, semper paralysin veram subesse opineris. Fit enim non ita raro, ut motus plane jaceat, non quod facultas motoria et quae ei subjectae sunt partes corporeae languescunt, sed quia ipsis partibus movendis vitium aliquod inhaeret, quod ratione, quae dicitur, mechanica obstet, quale occurrit in ancylosi.

§. 3.

SIGNA GENERALIA.

Paralysis haecce signa offert. Praecedunt dolores, formicatio, concussiones involuntariae, stupor, torpor, difficultas movendi partem huic malo opportunam. Quod ubi accidit, idque perfectum, omnis omnino motus discedit, ita ut nec contrahi, nec extendi, nec in motu tonico manere, nec quopiam duci possit pars aegrotans. Musculi ejus laxi, flaccidi, velut enervati reperiuntur, alias contra rigent. Sensus aut una cum motu perit, aut remanet vel paullo hebetior, vel consuetus, vel etiam ob-

---

(1) C. W. Stark, Allgem. Pathologie oder Allgem. Naturlehre der Krankh. Leipzig 1838. Abth. II. S. 1226.

servante Jos. Frank (1) tam acutus, ut ne levissime quidem se tangi patiatur pars affecta. Calor innatus communiter minuitur, interdum tamen augetur, concitato arteriarum motu et turgescentibus venis. Fit etiam, ut arteriae partis paralyticae prorsus micare desinant (2). Nutritio ad tempus quidem adhuc viget, donec tandem tempore languescat. Indeque atrophia consequitur, interdum etiam oedema.

§. 4.

DE NATURA PARALYSEOS.

Ex his, quae modo proposui, signis latissime patet, in parte paralytica initio quidem excitationem motumque, postremo etiam nutritionem jacere ac feriari. Inquirendum igitur erit in eum fontem vel principium illud, quo efficiatur, ut pars aliqua excitetur, moveatur, alatur. Ubique vero in corporibus animatis excitatio et motus et nutritio simul tam arcte inter se junctae adparent cunctaque ab iisdem conditionibus externis dependent, singulaque actionum illarum momenta adeo inter se congruunt conveniuntque, ut vix dubitari possit, quin cuncta aequalia sint natura et ab una eademque causa, tanquam e communi fonte, emanent (3).

---

(1) Jos. Frank, prax. medic. univers. praec. P. II. Vol. I. Sect. II. pag. 428.

(2) Abercrombie, Ueber die Krankheiten des Gehirns. A. d. Engl. Bonn 1821. S. 178.

(3) Stark, Path. Fragmente Th. I. S. 96. §. 14. seqq. ejusd. Allgem. Pathologie Abth. I. pag. 89.

Est vero haec illorum communis causa lex polaritatis summa illa quidem, qua omnes omnino vitales actiones effici arbitramur (1). Sic et motus muscularis, sicut omnes musculorum actus vitales polari nascitur antithesi quadam, dum conflictus utriusque poli et vasculorum et nervorum, illos adeuntium, tonum eum impertit musculis ad motus peragendos. Quod cum ita sit, facile colligitur, in musculis, tono polari privatis, motum cieri nullum. Ergo statuere licet, paralyseos causam naturamque cerni in polaritatis muscularis abolitione. Languescit autem aut uterque polus, aut alteruter, ita, ut vel propter differentiae vel diversitatis defectum, vel propter stimuli, conflictum polarem excitantis, inopiam musculi aut exiguo aut nullo prorsus tono inficiantur.

Itaque nascitur paralysis primo ex polo vasculari labefacto vel abolito, quae paralysis vascularis audit, cujus auctores erunt omnes eae caussae nociferae, quae sanguinem ipsum infestant, sive circuitum ejus liberum cohibent, sive mixtionem ejus inquinant. Sic videmus, ubi, cum arteriae majores aut compressae, aut ligatae, aut in os degeneratae sint, sanguis arteriosus, quominus ad arterias affluat, impeditus fuerit, paralysin existere. Idem evenit, ubi sanguinis vel copia minuta est, vel mixtio a norma abhorret, velut ex ingentibus haemorrhagiis, ex respiratione vitiata, ex veneno viperino, ex veneno in botulis, ex acido hydrocyanico, ex hydrargyro, Kali sulphurato, aliis. Inde et eorum morborum comes est paralysis, in quibus sanguis oxygenio et fibrina destitutus est, sicut in scorbuto, morbo caeruleo, febri putrida, quippe

(1) Idem l. l. pag. 103. sqq.

cum talis sanguis imbecillior sit, quam qui nervos incitet et tonum illum polarem, ad motus efficiendos quam maxime necessarium, eliciat.

A polo nervorum vasa ambientium labefacto vel prorsus exstincto eae paralyses proficiscuntur, quae proprie nervosae significantur. Efficiuntur vero incitatione ultra modum excedente, affectibus animum deprimentibus, excessu in venere, iis denique noxiis, quae systematis nervi sympathici sensibilitatem pessumdant, v. c. plumbo arsenico. Etenim ab incitatione nimia oriri paralysin, satis declarant musculi vi galvanicae nimis subjecti, porro vesicae urinariae paralysis ex cantharidibus praeter modum adhibitis, ac transitus denique nimiae musculorum contentionis, inprimis spasmi in paralysin. Oriri quoque paralysin, quando ipsis fibris muscularibus, siquidem in iis inest tonus ille polaris et ipse motus, vitium quoddam inhaereat, sive modo mechanico, velut tensione, contusione, distorsione, sive nutritione morbosa, degeneratione illarum in adipem vel telam tendineam aut osseam natum est.

Evenit denique paralysis, cum stimulus, qui motum concitet, aut nullus omnino adest, aut, etsi est, non tamen propagatur ad partes motui inservientes. Quam ob rem ubi cerebri, vel cerebelli, vel medullae spinalis, vel nervorum motoriorum actio sublata, vel omnino communitas termini centralis et peripherici eorum intercepta est ex apoplexia, lipothymia, pressu, contusione, commotione, persectione, compagis degeneratione, incitatione nimia, metastasibus; ibi paralyses musculorum consequuntur.

§. 5.

PARTITIO NOSOLOGICA.

Repetitur paralyticae affectionis partitio aut ab externis, quae prae se fert, signis ita, ut sensibus aperta obviam fiant — quae partitio est symptomatica — aut ab iis corporis partibus, quibus insidet inhaeretque morbus — quae est partitio anatomica. Si ad illam quidem spectamus, dispertitur paralysis:

a) in hemiplegiam vel resolutionem unius lateris, ubi quidem alterutrum tantum corporis latus sensu aut motu aut utraque simul facultate privatur.

b) in paraphlegiam, cui tamen voci alii aliam significationem submittunt auctores. Plerique quidem scriptores, ut Berends (1), Jos. Frank (2), Puchelt (3) aliique illam ita sumunt, ut omnium partium, quae sint infra caput, ergo totius trunci simulque artuum cunctorum resolutionem denotet, permanentibus vero cerebri, instrumentorum sensuum, faciei musculorum, cordis pulmonumque actionibus integris. Alii autem, inter quos Sprengel (4), Kuehn (5) aliique

---

(1) Berends, Vorlesungen über praktische Arznei-Wissenschaft. Band I. p. 343.

(2) Jos. Frank, prax. medic. universa praecepta P. II. Vol. I. Sect. II. p. 429.

(3) Puchelt, System der Medizin Th. II. die besondere Krankheits- und Heilungs-Lehre enthaltend p. 591.

(4) C. Sprengel, instituit. med. Tom. III. p. 494.

(5) In Blancardi lexicon medic. Lips. 1832.

paraplegiam ita intelligi volunt, ut utriusque lateris membra sive superiora sive inferiora paralysi detineantur, quo fiat, ut opposita sit hemiplegiae, qua alterutrius tantum lateris partes sensus motusque facultate sint orbatae.

c) in paralysin s. hemiplegiam transversam sive cruciatam, ubi brachium unius simulque alterius, quod oppositum est, lateris pedem resolutio male habet.

§. 6.

Pro ratione nervorum physiologica distinguere licet inter paralysin nervorum sensiferorum et motoriorum. Unde, quomodo fiat, ut in paralyticis modo sensus modo motus sit abolitus, facile est intellectu. Quodsi alterutra duntaxat facultas est sublata, paralysis vocatur incompleta; sin vero utraque simul evanuit, completa audit.

Anatomicam vero paralyseos originem considerantes, ponimus primum paralysin cerebralem, quae a cerebri morbis vitiisque proficiscitur, qualis est paralysis ex apoplexia cerebrali, hydrocephalo et acuto et chronico, ex encephalomalacia vel emollitione cerebri, ex sclereneephalia vel induratione cerebri, ex pyencephalo vel cerebro abscedente exque aliis cerebro insidentibus vitiis. Tum paralysin spinalem, quae a medullae spinalis affectione oritur, qualis est ea, quae myelitidem vel tabem dorsalem vel cyphosin comitatur. Postremo paralysin sympathicam, quae a plexibus nervi sympathici male affectis originem ducit, qualis est ea, quae colicam saturninam aliosque

imi ventris morbos consequi solet. Huic quidem paralysi Jos. Frank (1) nomen imposuit nerveae.

Pro singulorum denique musculorum resolutione dicitur paralysis musculorum faciei, colli, thoracis, abdominis, brachii, cruris.

§. 7.

DIAGNOSIS.

Cum varia paralyseos genera supra sint a nobis posita, jam, quae sint sua cujusque signa, nobis videndum est. Ac primum quidem de hemiplegiae signis peculiaribus dicendum erit.

a) Hemiplegia ut plurimum sinistrum occupat corporis latus, nec raro a capite ad calcem usque porrigitur. Tum in latere affecto visus et auditus solent esse aboliti, os et lingua in partem integram distorta, loquela impedita. Si vero caput integrum est, truncus resolvitur et quidem artus superior gravius, quam inferior. Tactus vero nunc discedit, nunc perseverat, modo acutior, modo pruritu gravatus. Interdum artus non totus est aequaliter paralyticus, idemque sub movendi conamine introrsum vel extrorsum, antrorsum vel postrorsum flectitur. Pulsus artus paralytici plerumque evadunt debiles, at non semper, interdum irregulares; ejusdem ungues aut lente aut nihil crescunt; itemque crines. Saepe denique latus hemiple-

(1) Prax. med. univ. pract. P. I. Vol. II. Sect. I.

gicum ephidrosi, decubitu, atrophia, oedemate afficitur. Tandem sphincteres quoque et vesicae urinariae et ani resolutione nunc impertiuntur, nunc plane vacant. Animi autem hemiplegicorum magna est incitatio, quare vel minima opportunitate oblata, ad modum infantum, nunc in fletum, nunc in risum prorumpunt.

b) Paraplegia, quae est resolutio partium earum, quae infra caput positae sunt, exhibet cordis et pulmonum, cerebri et sensuum mentisque actiones integras. Malo ingravescente et lingua ac musculi quidem faciales paralysi detinentur, totumque corpus paresi laborat.

c) Paralysis transversa s. cruciata rarius quidem, quam reliquae, evenit, eaque potissimum post dysenterias epidemicas malignas observatur. Sed etiam ex apoplexia eam vidit Jos. Frank.

d) Paralysis musculorum faciei faciem ad latus integrum distortam exhibet, quae saepe speciem quandam risus Sardonici prae se fert; ut plurimum vero labium superius anaesthesia accusatur. Aegri haud valent frontem et supercilia corrugare, cum paralysis musculum frontalem et corrugatorem tenet; nec palpebras claudere aut aperire, cum musculum orbicularem palpebrarum vel musc. levatorem palpebrae superioris; nec labium superius alamque nasi attollere, aut nares dilatare, cum musculum levatorem labii superioris et alae atque compressorem nasi; nec angulum oris elevare, cum musc. levatorem anguli oris et musculos zygomaticos; nec salivam aut cibos in cavo oris retinere, cum

musc. orbicularem seu sphincterem oris resolutio occupat.

e) Ubi musculi colli, caput sustinentes, sunt resoluti, caput antrorsum dependet. Cetera valetudo bene plerumque constituta est, quandoque loquela se impeditam praebet. Sensu carere non solent musculi malo isto correpti.

f) Paralysis artuum et superiorum et inferiorum varios exhibet gradus, prout cuncti vel singuli musculi malo sunt correpti. Humerus enim aut extendi se, aut retrahi, aut elevari, aut intus vel extus verti non patitur, prout musculus, qui est resolutus, extendendo vel retrahendo vel elevando inservit. Itemque antibrachii, carpi, digiti motus variis modis perturbantur. Atque similis est ratio artuum inferiorum paralyticorum. Etenim femur aut elevari se, aut elevatum retrorsum extendi, aut extrorsum verti, aut adduci, aut divergi, aut femori alteri imponi non sinit, aut crus vel pes vel hujus digiti extendi se aut flecti non admittunt, prout hic ille musculus paralysi laborat.

§. 8.

VISA ET REPERTA IN PARALYTICORUM CADAVERIBUS.

Cerebrum paralyticorum induratum aut sero praecipue in ventriculis, aut sanguine, aut pure (1) impletum, aut

---

(1) Prochaska, annotat. academ. Prag 1784. Fasc. 2. sect. 2. cap. 2.

tumoribus compressum repertum est, atque etiam corpus striatum degeneratum, imo a cerebro plane sejunctum visum est. Ac id quidem notandum est, quod illa, quae modo nominavimus, vitia, etsi non semper, at certe plerumque, in eo cerebri latere, quod est oppositum parti resolutae, sedem locumque habere solent. In aliis vero cadaveribus medulla spinalis variis modis vitiata reperta est, quippe quae aut indurationem aut emollitionem, aut consumtionem, aut tanquam divulsionem, aut exsiccationem, aut fungum, aut excrescentias ostendit. Nec minus columna vertebralis sese morbosam praebuit. Exhibuit enim gibbositates varias, tumores, spinam bifidam, vertebras malacia correptas (1), cariem earum et destructionem et luxationem, cartilagines intervertebrales ad instar ossis induratas, aut sanguinem, aut hydatides, aut ichorem intra ejus canalem. Atque etiam meninges medullae spinalis densae et vaculosae repertae sunt. Et ipsos musculos aut numero incompletos aut colore albidos aut in materiam steatomatibus similem conversos invenerunt.

§. 9.

CAUSAE.

Ut causarum catervam, quae ad paralysin provocandam faciunt, malius conspiciamus, eas more pathologorum in praedisponentes et excitantes s. occasionales et proxi-

---

(1) J. P. Frank. orat. acad. de vertebrarum columnae in morbis dignitate.

mas distribuimus. Pertinent vero ad caussas praedisponentes: aetas infantilis et senilis, temperies corporis sanguinea et cholerica, sexus masculus, proclivitas quaedam ad paralysin hereditaria, constitutio scrofulosa et rhachitica. Musculorum quoque exercitatio diu neglecta, obesitas, systematis nervorum imbecillitas quaedam, varia opificiorum genera ad paralysin admodum eos reddunt propensos, qui iis utuntur.

Tum ad excitantes causas s. occasionales hae, quae sequuntur, sunt referendae.

a) Aëris temperies vel calida vel frigida nimis, inprimis frigoris injuria aestuante corpore, humiditas post tempestatem pluviosam.

b) Suppressio cutis actionis et exanthematum, ut scarlatinae, variolarum, achorum (1). Huc quoque pertinet.

c) Suppressio profluviorum consuetorum, ut fluxus menstrualis vel haemorrhoidalis, secretionis lacteae.

d) Metastases arthriticae, syphiliticae.

e) Venena, inprimis vapores mercurii, arsenici, plumbi aeque ac narcotica.

f) Animi affectus, quales sunt moeror, terror, ira, dolor vehemens.

g) Violentiae externae et potentiae ejusmodi, quae via rationeque mechanica nervos infestant, quales sunt lapsus, praesertim super caput et columnam vertebralem, concussiones, vulnera e. g. venae in brachio

---

(1) de Haen, rat. medendi. Vol. I. p. 185.

sectio (1), morsus caninus (2), vesica lotio referta ac distenta (3), graviditas, enixus, plethora.

Postremo quod ad proximam paralyseos causam attinet, jam supra, ubi de natura hujus mali disseruimus, satis de illa diximus.

§. 10.

PROGNOSIS.

Paralyseos augurium a sede et loco morbi ipsius dependet. Si cerebrum ipsum vel medullam oblongatam vel spinae medullaris partem cervicalem morbus occupat, malum est. Tum enim et respirationi et sanguinis circuitui inservientia organa atque ipsa sensuum instrumenta valde in periculo versantur. Quare paraplegia pejor, quam hemiplegia. Hemiplegia, quae apoplexiam praecedit, pejor, quae apoplexiam sequitur, melior. Paralysis musculorum faciei, si affectio ipsius cerebri subest, periculosa; si ipsis nervis facialibus inhaeret morbus, periculum haud instat. Praeclare igitur Hippocrates (4) ait: „distorsiones in facie, si nulli alteri parti corporis communicant, cito sedantur, vel sponte vel per necessitatem, reliqui vero apoplectici fiunt."

Paralyses partiales ex carie vertebrarum malae. Paralysis, quam atrophia sequitur, mali augurii est. Ita jam

---

(1) Jos. Frank l. c. p. 446 annot.
(2) Idem ibid.
(3) Wichmann Ideen zur Diagnostik 3. Th.
(4) Prorrhetica lib. II. c. 17.

Hippocrates (l. c.) praeclare: „Quibus una cum hoc, ait, quod movere non possunt, morbosa pars corporis attenuatur, hi in sanitatem restitui non possunt; quibus autem colliquationes non accesserunt, sani evadunt.“ Quem ducem gravissimum, ut semper, sic in eo secutus, **Celsus** (1) eandem fere rem hisce exprimit verbis: „Quacunque vero corporis parte membrum aliquod resolutum est, si neque movetur et emacrescit, in pristinum habitum non revertitur; eoque minus, quo vetustius id vitium est, et quo magis in corpore senili est.“

Tempore verno paralysis facilius curatur, hiberno difficilius.

§. 11.

CURATIO.

Ut morbi natura causaeque, sic illius curationes admodum variae sunt ac multifariae. Cum vero frequentissime paralysi eadem natura causaque subsit, quae apoplexiae, sequitur, ut morbo utrique eadem medendi ratio communis sit.

Quare ad paralyses curandas, praesertim eas, quae ex cerebro, tanquam fonte, emanaverint, largis copiosisque sanguinis detractionibus opus erit, quibus alvum ducentia addantur. Sanguinis plurimum una vice, potissimum ex arteria temporali, mittatur, donec aeger melioris conditionis indicia edat, idque ad lipothymiam usque pergatur necesse est, ut ait **Joh. Hunter**, qui idem etiam salia purgantia

(1) Lib. II. c. 8.

porrigi, ut et sanguinis impetus evitetur et, si quid effusum fuerit, id resorbeatur, jubet. Laudat hanc medendi rationem ipsa experientia. Ex multis hunc tantum unum casum proferam. Cel. Abercrombie hoc tradidit exemplum: Vetula quaedam septuagenaria, macida et pallida, cum die IIo. M. Jul. mane domo exiret aquae hauriendae causa ex puteo quodam publico, in via corruit. Hora secunda pomeridiana, nullo auxilio ante allato, in stupore quidem, sed absque sopore inventa est aphonica et hemiplegica. Arteriarum pulsus fortis ad 96. Sanguinis unciae quindecim detrahebantur. Epithemata frigida capiti admovebantur, porrigebantur purgantia. Postridie et loquela et motus aliquanto meliores sese habebant. Quae cum noctu tamen in pejus se verterent, sanguis iterum mittebatur, purgantia pergebantur. Ex quo conditio melior sensim evasit. Post septimanam praeterlapsam incedere jam valuit, adjumentum exiguum tantum desiderans, loquela satis expedita fuit. Septimana vero proxima exeunte, valetudinem pristinam prorsus recuperavit. — Quin hoc in casu vas aliquod sanguiferum diruptum fuerit, vix dubium est, quoniam et stupor ille quidem et pulsuum conditio satis indicarunt, cerebrum pressu quodam infestari. Et ipsum laborem, in quo occupata erat aegra, et anni tempus aestivum, quo aëris temperies ardere solet, hujus eventus opportunitatem praebuisse, facile est intellectu.

Atque etiam cucurbitulas scarificantes lateribus spinae admovendas merito laudat Jos. Frank (1), quoniam apoplexia ad medullam spinalem pateat, nec quidquam

(1) Prax. med. P. II. Vol. I. Sect. 2. pag. 477.

sit, quod efficacius sanguinem a cerebro abducat, quam illae.

At vero semper aetatem, virium conditionem, universam corporis complexionem consuetudinesque aegri intueri debet medicus, ne temere sanguinem mittat. In senibus enim aetate provectis, in corporibus debilitatis et leucophlegmaticis a largis venae sectionibus abstinendum esse, facile intelligitur, nisi sanguinis ad caput impetus vigeat, qui ex facie ardente, arteriis pulsantibus, oculis rubentibus clarissime adparet. Ubi igitur congestionis quidem indicia adfuerint, sed sine plethora universali, hirudines ad caput applicatae sufficient (1).

Purgantium usus latissime patet, quippe cum omnibus fere corporum complexionibus, etiam asthenicis atque hydropicis sit saluberrimum, tractum intestinalem excitare. Nam si sanguis serumve effusa fuerint, purgando efficietur, ut absorbeantur; sin contra, revulsio fiet eaque certe salutifera erit. Quare alvus paralyticorum quotidie semel bisve aperta sit oportet. Praestat vero, etiam in corporibus debilitatis, purgantia calefacientia adhibere, quales sunt Coloquinthides, Jalappa, Aloë. At vero cavendum, ne secessus liquidi fiant, quod vix unquam evenit, quin vires aegroti detrimenti quid capiant.

Emetica quidem, ubi sanguinem aut effusum aut ad caput congestum suspicatus fueris, sunt fugienda; sin secus, quam ocissime ad illa confugiendum est.

Ac ne derivantia quidem ad cutem praemature in auxilium vocanda sunt. Quare ne nimis properes, vesi-

(1) Jos. Frank l. l.

catorium nuchae admovere, ob sanguinis ad caput congestionem extimescendam. Cum autem morbi impetus inflammatorius cessaverit, vel si quid rheumatici aut arthritici subfuerit, haud parum illa proficient. Multo magis vero prosunt fonticuli, utrinque ad cranii basin instituti, modo ne citissimum effectum velis. Quin imo praeter methodum antiphlogisticam totum paralyseos encephalicae auxilium certum a solis fonticulis petit Jos. Frank. Setaceum tamen ad nucham nimias movere solet molestias.

Jam vero debellato primo morbi impetu ope methodi antiphlogisticae et evacuantis, medici est, alteram curationis partem, priori contrariam, suscipere, quae eo continetur, ut vim actionum deperditarum revocet restituatque. Quod ut fiat, ad methodum excitantem jam confugiendum est medico. Quare de remediis excitantibus et internis et externis dicendum erit.

Ac primum quidem externa memoranda sunt, quae in hunc finem adhibentur, ut, dum extremos vel periphericos nervos irritent, etiam principium vel locum originis eorum suscitent et ad actionem debitam revocent. Sunt igitur vel rubefacientia vel vesicantia, ut sinapismi, linimenta acria ex acidis concentratis vel Kaliis causticis confecta, solutio salis marini, frictiones ex allio, vel ex spiritu aromatico quodam, cantharides aliaque. Atque etiam cauteria jam antiquitus a medicis adhibita sunt. Ustionem enim jam Hippocrates laudavit. Dupuytren moxas urentes, Pascal eryoxylon accensum partibus paralyticis admoverunt idque felicissimo cum eventu.

Inter externa excitantia merito et electricitas locum tenet, cujus virtus salutifera praedicatur praecipue adver-

sus eam paralysin, quae ab atonia vel inanitione quadam medullae spinalis orta est.

Neque vero balnea sunt negligenda; praecipue tepida et sulphurica, quae tamen nonnisi senescenti jam morbo conveniunt propter vim irritantem, quam non solum in cutem, verum etiam in totam corporis oeconomiam exercent. Embrocatio vero, jam ab antiquis medicis laudata, semper fere tuto adhiberi potest (1). Valde etiam juvat, adjungere balneis frictionem, praesertim in paralysi partiali. Sed et balnea frigida, ut stimuli vehementes, adhiberi vult Hoffmann, Boerhaave, praecipue ea in paralysi, quae cum plethora et virium robore conjuncta est.

Jam vero ad remedia excitantia interna accedimus. Magnis efferuntur laudibus flores Arnicae montanae. A seminibus coriandri sativ. vel ab hb. origan. majoran. una c. florib. arnic. mont. porrectis eximios se expertum fuisse effectus ad paralysin tollendam testatur Jos. Frank (2), sic praescribens:

Rcp. flor. Arnic. ℈j
sem. Coriandr.
(aut hb. Major.) ℈jj
Infunde c. aq. fervid. q. s.
per quart. hor. part. ad collat. ℥x

Praeterea et rhus radicans et capsic. annuum et

---

(1) Cael. Aurelian. de morb. chron. pag. 361. — Paul. Aegineta lib. IV. c. 56.
(2) l. c. pag. 480.

camphora et hb. chenopodii ambrosioid. convenire dicuntur.

Nux vomica, cui vis tanquam antiparalytica tribuitur, admodum caute adhibeatur. Si quid syphilitici subest, ad aethiopem antimonialem, parva quidem dosi, sed diu continuata, confugere juvabit.

Paralysis saturnina eodem fere modo, ac colica saturnina curari debet. Praeterea et a mercurio, inprimis a Calomelane, a balneis sulphuricis, ab electricitate auxilium petendum est. Et nitras argenti adversus paralysin post colicam pictorum celebratur. Paralysis ubi est ex causa rheumatica, qualis paralysis musculorum facilis plerumque esse solet, hirudinibus, sudoriferis, vesicatoriis prope partem affectam locus concedendus est.

Expedit quoque fotus partis paralyticae ope panni lanei sicci, calefacti, vel telae ceratae, vel pellis leporinae, vel emplastri de Galbano crocati, de pice Burgundica etc. Atque etiam titillationem cum penna anserina, balnea vaporosa, ut vapores spiritus vini accensi, et arenosa, et fotum animalium recenter nècatorum haud sine fructu fuisse, multae nos edocent observationes.

Victus ratio curationi accommodari debet. Aër modice calidus sit et purus oportet; humidus non convenit. Cibi sint eupepti et nutrientes, potus modice excitantes. Nec vinum modice haustum nocet, èoque minus, quum ex aqua est dilutum. Corpus moveatur et exerceatur. Animus denique ita foveatur, ut securitas atque hilaritas contingant, quibus morborum cura et hominum convalescentia interdum mirifice sublevantur.

VITA.

Patre Joanne Guilelmo Blanck, quem jam fatis invidis mihi ereptum lugeo, matre Amalia e gente Scheringer, quam hucusque Deus optimus vivam mihi servavit, Elbingae natus die XXII mensis Augusti a. MDCCCXVII confessioni evangelicae addictus sum. Primis tirociniis instructus, gymnasium urbis patriae sub auspiciis directoris Mundt, viri Illustrissimi et Doctissimi, adii perque decem annos frequentavi. Examine rite superato, ornatus maturitatis testimonio Berolini mense Octbr. a. MDCCCXXXVI inter cives academicos a magnifico t. t. Rectore Ill. Busch receptus et facultati medicae a spectatissimo t. t. Decano Ill. Wagner adscriptus sum perque quadriennium medicinae et chirurgiae studio incubui. Hisce interfui praelectionibus:

Ill. Kunth de botanice; Ill. Link de historia naturali; Ill. Schlemm de osteologia; Ill. Mueller de anatomia corporis humani universa et speciali, organorum sensuum et foetus, de anatomia comparata et de physiologia; Ill. Mitscherlich de chemia; Ill. ab Henning de logice; Cel. Mitscherlich de materia medica; Ill. Horn de morbis syphiliticis et psychicis; Ill. Wagner de medicina forensi; Ill. Hecker de pathologia et therapia speciali; Ill. Busch de arte obstetricia; Ill. Mueller et Schlemm in exercitationibus anatomicis et Exp. Troschel in exercitationibus fascias rite imponendi ducibus sum gavisus. Exercitationibus clinicis interfui medicis Cel. Wolff et Ill. Schoenlein; chirurgicis Beat. Rust, chirurgico-ophthalmiatricis Beat. de Graefe; infantum Cel. Barez; policlinicis chirurgico- medicis Cel. Truestedt.

Quibus viris omnibus, Illustrissimis, Celeberrimis, Experientissimis debitas easque summas ago gratias semperque habebo.

Jam vero tentaminibus et philosophico et medico, nec non examine rigoroso coram gratioso medicorum ordine absolutis, spero fore, ut, dissertatione inaugurali et thesibus defensis, summi in me conferantur medicinae et chirurgiae honores.

THESES.

1. Fames remedium est validissimum.
2. Crisis non est causa, sed effectus redeuntis sanitatis.
3. Summum ingenium communem cum insania originem ducit.
4. Morbi Brightii symptoma constans nullum.
5. In delirio tremente aquae frigidae affusio iterata summum remedium.
6. Morbo pulmonum praegresso sanatio fistulae ani non vetatur.